



Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. LXIV. De professione monialis fraudulenta facta in articulo mortis, eo animo ut bona ad Monasterium devoluerentur, in præjudicium substitutorum, vel venientium ab interstato. In quibus casibus ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

- illius presbyteris sacramenta percipiant: capit. nullus, de Paroch. can. Episcopus in diocesi 7. quest. 1.
- 22 † Tertio, in iure sepeliendi, nempe ut omnes Parochiani in Ecclesia Parochiali sepeliantur, nisi alibi sepulturam eligant, vel alibi sit sepulchrum maiorum, cap. omnis, de penitent. & remiss. Clement.
- 23 dudum, cum ibi notat. §. verum, de sepulturis. † Quarto, si quis in alia Ecclesia sepeliatur, Parochi jura consistunt in quarta funerali: dist. Clement.
- 24 dudum. † Quinto, in iure decimarum. † Sexto, in iure oblationum, & aliarum obventionum: de quibus plura dici possent, quæ consilio omituntur, cum non concernant principalem hujus capituli materiam. Quæ omnia post Abbatem in rubric. de Parochiis, recenset Rota decis. 552. numero 3. & seq.
- 26 part. 5. recent. † Ubi etiam notanter concluditur, quod quando defunctorum corpora delata fuerunt in Ecclesias non Parochiales, in quibus sepultura fuit electa, Parochus non potest ibi facere officium, cum hoc non sit de iuribus Parochialibus: ut ibidem concluditur num. 23. & multis sequentibus. †
- 27 Sicut nec possunt Parochi cogere, ut officia novendialia, & finis anni, fiant in Ecclesia Parochiali, si sepultura alibi electa sit. Rot. in Elnensi Infirmum Parochialium, 6. Junij 1631. coram Illustrissimo Domino Quirpo, inserta post 7. partem Diana.



CAPUT LXIV.

De professione monialis fraudulenta, facta in articulo mortis eo animo, ut bona ad Monasterium devolverentur in præjudicium substitutorum, vel venientium ab intestato. In quibus casibus professio in articulo mortis sit valida, finito, vel non finito anno novitatus: & de variis conjecturis fraudis in hac materia concurrentibus.

SUMMARIUM.

- 1 Professio Novitij in mortis articulo, ante elapsum novitatus annum, ex constitutionibus Pontificiis est valida quoad animam; sed non quoad bona.
- 2 Professio illius, qui integro novitatus anno fuit infirmus, facta lapsa anno novitatus, valida est fraude cessante, ex veriori sententia: quamvis novitatus mox esset moriturus.
- 3 Professio in ordine minimorum est valida: quamvis novitatus toto anno propter infirmitatem carnibus, ovibus, & lacticiis usus fuerit.
- 4 Fraus non probatur ex hoc solo in præjudicium successorum, vel substitutorum, quod in mortis articulo matrimonium, vel professio facta fuerit.
- 5 Professio accelerata, etiam finito novitatus anno, non nocet successoribus, si fraudis adsint conjectura.
- 6 Substitutus non excluditur per Monasterium, quando adsunt conjecturae fraudis.
- 7 Conjectura fraudis oritur ex professione facta in mortis articulo.

- 8 Cur potius colligatur fraus ex professione facta in mortis articulo, quam ex matrimonio.
- 9 Aliud est professionem esse validam quoad animam, aliud quoad successionem.
- 10 Fraus facilius colligitur, quando tractatur de præjudicio tertij.
- 11 Matrimonium carnale plus operatur quoad successiones, quam spirituale.
- 12 Gesta tempore magna infirmitatis, presumuntur facta in fraudem.
- 13 Ex multiplicatis, & affectatis actibus elicitur fraudis conjectura, veluti ex resignationibus multiplicatis.
- 14 Professio clandestine facta presumptionem habet fraudis.
- 15 Fraus presumitur adversus eum qui promissa non servat.
- 16 Professiones monialium non solent redigi in contractum publicum coram Notario, & testibus. Ex actibus precedentibus cum cautela, & subtilitate gestis, fraus presumitur.
- 18 Ad professionem superior admittens novitum incapacem functionis religionis, peccat; sed professio est valida.
- 19 Tempus professionis, lapsa novitatus anno, perrogari ex causa potest, & debet.
- 20 Ex nimia præcipitatione fraus colligitur.
- 21 Dotem monialis præcipitanter professæ non accipi Monasterio, fuit sæpe decisum.

UT certior habeatur resolutio propositæ difficultatis, super professione cujusdam puellæ, quæ licet exacto novitatus anno facta fuerit; non pauca tamen fraudis & præcipitationis proponuntur conjecturae: præsertim quod cum integro novitatus anno continua febre hectica, & multa cecitate laborasset, die 4. Augusti professionem emisit; & paulo post, nempe die 16. ejusdem mensis, vita migravit: varij casus considerandi sunt.

Primus casus est, quando novitatus in articulo mortis constitutus, nondum elapso probationis anno, professionem emisit: quod facere potest ex privilegio Pij V. religiosi sancti Dominici concessit, prout in ejus constitutione 109. edita anno 1570. Quod privilegium aliis etiam religiosi ordinibus communicatum fuit: & hoc casu, certum est professionem validam esse duntaxat pro consequutione indulgentiarum, & solatio animæ; non autem ut sic professus bona sua transferat in monasterium: prout declarat Mirand. in manual. prælator. regul. 1. quest. 22. artic. 10. & in istis terminis loquitur Ricc. in prax. aur. cap. 493. in princip. ubi quæritur de numero 6. quamvis Sanch. in præcep. decalog. lib. 5. cap. 4. num. 16. contraria sit opinio, nempe eodem modo succedere Monasterium huic ex privilegio proficenti, quo succederet, si finito novitatus anno professionem emisisset. Verum opinio ista mihi jure non probatur, nec eam iudex æquus admittere debet; cum non alia fuerit summi Pontificis intentio, quam ut novitij, aut novitæ, dum morti viciniore sunt, beneficio religiosorum quoad animam, & forum interius perfruantur, & majori cum solatio Deo suo animam reddant: non autem ut proximiorum successionem fiat præjudicium; imò & nova professione opus est, si finito novitatus anno pristina sanitas redierit, ut notat Hieron. Rot. ric. in quest. regul. cap. 101. num. 40. per jura, & rationes ibi allegatas.

Secundus casus est, quando monachus, aut monialis, fuit

finito integro novitiatus anno proficitur, servatis servandis; non obstante gravi & incurabili qua laborat agitudine: & hoc casu, quamvis variæ sint Doctorum sententia; verius tamen videtur atque receptius, ex hoc solo non privari monasterium successione, si nullæ fraudis conjecturæ concurrant: quamvis novitius tempore professionis mox moriturus esset. Ratio est, quia professio ista emissæ fuit lege permittente, & non in alterius injuriam, aut præjudicium principaliter intentum: dum enim monasterium jure suo utitur, non dicitur alicui inferre injuriam: idque non obstante quod novitius, integro novitiatus anno, omnes regulæ austeritates probare non potuerit, propter suæ infirmitatis impedimentum: quia sufficit quod expectus fuerit religionis austeritatem in genere, ut dicit Tamburin. de jure Abbat. tom. 3. disput. 6. quest. 3. num. 25. Atque ita per Sacram Concilij Congregationem determinatum fuisse testatur Barbol. de jure Ecclesiæ univers. lib. 1. cap. 42. num. 170. ubi tamen non loquitur de eo, qui toto novitiatus anno fuit infirmus: quod repetit in decis. Apostolicis, cap. 612. num. 16.

† Unde novitij illius validam esse professionem dicit Tamburin. ubi supra, qui in ordine Minimorum novitiatus annum agens, continuè carnibus & lacticiis propter infirmitatem usus est. Bonacini, in tract. de clausur. quest. 2. punct. 10. difficult. 2. num. 10. ubi dicit professionem illius qui propter morbum, vel senectutem, impotens est ad servandam religionis regulam, non posse ex eo irritari: cum substantia religionis consistat in tribus votis castitatis, paupertatis & obedientiæ, quæ corporis viribus non nituntur, sed voluntate & affectu voluntatis: reliqua verò religionis præcepta obligant tantum juxta vires corporis, seu nisi iusta causa excuset: Sanch. in præcept. decalog. lib. 5. cap. 4. n. 52. & ita fuit decisum in Rot. decis. 346. n. 2. post consilia Farin. † ita ut nec ex hoc solo fraus adversus Monasterium præsumenda sit. Casanat. consil. 21. & 22. per tot. ubi fuse agit de matrimonio in mortis articulo, in præjudicium substituti contracto: & de consil. 22. num. 10. ostendit non oriri fraudem ex actibus in articulo mortis factis: per text. in l. finali ff. de condit. institut. & in l. fuit quoque 4. §. finali ff. de hered. institut. ubi quod conditio potest adimpleri in ultimo vitæ momento, etiam si ex eo fiat damnum substituto. Fusar. de substitut. quest. 424. num. 78. Sanch. in præcept. decalog. lib. 7. cap. 16. num. 58. & 59. Intrigliol. de substitut. centur. 3. quest. 63. num. 74.

¶ Tertijs casus est, quando novitius, aut novitia in infirmitate constituta, finito novitiatus anno proficitur in mortis articulo existens, concurrentibus conjecturis quod professio fuerit accelerata, & præcipitata in præjudicium & fraudem proximorum, ad quos successio spectabat: & hoc casu dicendum est, professionem non subsistere, nec per eam impediri, quominus proximiores ab intestato venientes ad successionem, excluso Monasterio, admittantur. Ratio est, quia quilibet actus tempore magnæ infirmitatis, aut in mortis articulo factus, tendens in præjudicium alterius habentis jus ad rem, vel spem probabilem; licet ex hoc solo quod fiat in mortis articulo, non præsumatur fraudulentus; tamen si concurrant aliquæ fraudis conjecturæ, Doctores omnes conveniunt, talem actum non subsistere in præjudicium tertij. Giovagnon. lib. 2. respons. 45. num. 34. & probat text. in cap. de his, de sepult. Surd. consil. 382. num. 50. in fin. & consil. 384. num. 62.

† Unde licet quis gravatus fuerit de restituendo hæreditatem, sub conditione si sine liberis, & re-

lictio Monasterio, qui vicem obtinet liberorum, & vita excesserit; substitutus non excludetur à monasterio, si adint conjecturæ fraudis circa professionem interveniant. Mantie, de conject. ultim. voluntat. lib. 10. titul. 4. num. 19. & 20. Casanat. loquens de matrimonio carnali, dist. consil. 22. num. 8. Molin. de primogen. lib. 2. cap. 5. numero 27. & lib. 3. in fin. in annotatione, num. 8. Barbol. in capit. si præsentia, numero 6. de probat. & in terminis professionis fraude interveniente, decidit sacra Congregatio apud Barbol. in decis. Apostol. collect. 611. num. 17.

Plures autem in casu proposito concurrebant 7 fraudis conjecturæ. Prima, quia dicta novitia tempore professionis erat desperatæ salutis, & in mortis articulo constituta: licet enim magis communiter receptum videatur, filios per matrimonium in mortis articulo contractum legitimatos, pro legitimis haberi in præjudicium successorum, & substitutorum; † longè tamen est dispar ratio matrimonij spiritualis, seu professionis: nam si fraudandi alterius causa, matrimonium spirituale seu professio fiat, id sine peccato fieri nequit: ideoque per talem professionem non excluditur successio ab intestato: ut probatur per text. in cap. final. 19. quest. 3. † ubi fraus 9 circa religionem efficit, ut bona, quæ monasterium habuerat, restituere teneatur, quanvis professio firma remaneat. Præterea licet professio efficiat, ut monasterium succedat in dote religiosæ constituta, ad exclusionem patris; hoc constitutum est contra dispositionem legis, in l. dos à patre, Cod. solut. matrim. ita ut hæc successio Monasterij in dote puellæ, non sit ita latè interpretanda, prout fieret, si juri communi & ordinario contraria non esset; & ideo facilius ex fraudis suspitione cessare debet Monasterij successio: quibus addi poterit text. in dist. cap. de his, de sepult. † ubi licet ingressus religionis, 10 & votum in articulo mortis factum valeat; tamen si vovens in eadem infirmitate decedat, non fit præjudicium tertio, ratione bonorum, quorum non ita liberam dispositionem habebat: & hæc differentiam inter matrimonium, & professionem bene explicavit Sarmient. select. interpret. lib. 1. cap. 6. num. 9. versicul. ex his apparet, quem sequitur Roderic. tom. 2. quest. regul. 77. articul. 5. † Et matrimonium spirituale non est ejusdem efficaciæ, & virtutis, sicut matrimonium carnale: quia Monasterij ingressus non potest efficere, ut Monasterium sit vere filius ingressi; at in matrimonio carnali, is qui legitimitur, est verè filius contrahentis, & Matrimonium carnale omnem maculam & fraudem tollit: quod in matrimonio spirituali eodem modo constitutum minimè repetitur, ut bene explicat Bammacarius ad titulum, si de fundo defuncti, fuerit controversi, in capit. naturales, quest. 7. numero 82. 83. 84. & 85.

Et generalis est regula, ex iis, quæ tempore magnæ infirmitatis gesta sunt, fraudis conjecturam elici: ut notavit Surd. dist. consil. 384. num. 54. ubi plura exempla & jura ad hoc allegat, sicuti & Tusch. litter. F. conclus. 478. num. 27.

¶ Secunda conjectura oritur ex eo quod dicitur, professionem illam factam fuisse primò quidem die 1. Augusti; iterum autem die 4. ejusdem mensis: ex quibus sic geminatis professionibus colligitur magna affectio, & ardens animus monialium ad capenda bona istius puellæ: sicut dicimus de designationibus multiplicatis, ex quibus præsumitur fraudem fuisse commissam in præjudicium expectantis. Rebuff. in concord. titul. de collator. §. volumus in verb.

vacantia, in 8. conjectura. Mascard. de probat. conclus. 815. numero 17.

- 14 Tertia conjectura fraudis oritur ex eo, quod dicta professio facta fuit clam, & secretò intra conventum; non in Ecclesia, ut fieri semper solet; nec vocatis patre, matre, & affinibus: imò Abbatisa affectante, & procurante, ut professio fieret illis infcisi, & ignorantibus: quod fraudis argumentum præbet, ex Mascard. *de probat. conclus. 815. num. 33.*

- 15 Quarta: quia conventum fuerat inter Abbatissam, & patrem puellæ, quod fieret contractus publicus, per quem dicta novitia mediante summa 600. scutorum realiter dicto Monasterio solvenda, renuntiaret iuribus paternis & maternis: qui autem promissa non servat, fraudis suspitione non caret: *l. dolus, ff. mandat. l. 1. §. est autem, ff. de positi. Menoch. lib. 5. præsumpt. 3. num. 63.*

- 16 Quinta fraudis conjectura oritur ex nimia, & insolita cautela: Quia licet non soleat apud nos fieri instrumentum per manus Notarij de emissionem votorum, & professione religionis, sed solum professiones notentur in libris ipsius Monasterij, in quo fit professio; tamen Abbatissa voluit de illa professione fieri instrumentum apud acta Notarij publici: fraudem autem colligi ex nimia, & insolita diligentia, seu cautela, certum est: Thesaur. jun. lib. 3. quæst. 16. numero 11. Menoch. lib. 5. præsumpt. 3. num. 102.

- 17 Denique cum fraus arguatur ex actibus præcedentibus, & sequentibus, cum nimia subtilitate gestis, ex Mascard. *conclus. 815. num. 16.* consideratum fuit, quod Abbatissa desiderans Patrem puellæ reddere actorem, induxit eum, aliquot ante puellæ Professionem diebus, ut sibi mutuo daret summam ejus doti præmissæ æquivalentem, quam fraudulenta professione facta, non solum recusabat reddere; sed omnia ejus bona longè majoris valoris sibi adjudicari prætendebat; & puellam febri hæctica laborantem, & cæcam, moxque morituram, & sic functionum ordinis incapacem admisit ad professionem, contraveniendo ea ratione constitutionibus Apostolicis. † Quo casu, licet professio non sit nulla aliis circumstantiis minime concurrentibus quoad forum interius; tamen superior illam admittens peccat, & subicitur pœnis contentis in constitutionibus Apostolicis: de quibus Bonacin. *de clausur. quæst. 2. punct. 10. §. 6. diffinit. 2. num. 11.* † Poterat enim, imò debebat ex iustissima illa causa tempus professionis aliquantulum prorogari, non obstante lapsu anni novitiatus: teste Novar. lib. 1. decis. 50. Tambur. *de jur. Abbat. tom. 3. disput. 6. quæst. 18. num. 4. & 5.* † Præcipitatio igitur ista fraudem arguit: Tusch. *literæ, F. conclus. 477. num. 11.* quæ sola licet non sufficeret; tamen aliis juncta multum operatur. † Unde dotem puellæ, illiusque bona non esse applicanda Monasterio, sed ad successores ab intestato, resolutum fuit in pluribus causis, ut videre est apud Peregrin. *consl. 25. volum. 6.* ubi dicit professionem quoad animam esse validam, uti factam in casu licito: utrum, ex præsumpta fraude, propter admissam mox morituræ professionem, & ob nimiam diligentiam monialium, quæ dotem puellæ ante professionem sibi remitti curaverant, sub prætextu depositi, depravatam illarum intentionem colligi; & ad illius successionem admittendos esse proximiores, excluso Monasterio. Atque ita decisum fuisse testatur Ricc. *in prax. aurea, cap. 493. a num. 6.* ubi casus noster deciditur in puncto: quia professio illa fuit admissa contra constitutiones ordinis, cum puella esset infirma, hæctica, cæca, &

moribunda; & propterea, cessantibus omnibus & quibuscumque oneribus matrimonij spiritualis, per mortem statim supervenientem, debebat & successio cessare: sicut non dicitur nupta, quæ vitum pati non potest, *l. quod pupilla 30. & penult. ff. quando dies leg. vel fideicom. ced.* & per quinque rationes ibidem per Ricc. allegatas, quas hic non repetemus: loquitur enim de professione facta post completum novitiatus annum à puella, quæ propter infirmitatem non erat capax austeritatum regulæ.



CAPUT LXV.

De translatione monialium ad aliud Monasterium. Vtrum translata personæ transferantur etiam bona. Ponitur particularis constitutio, seu consuetudo in ordine sancti Dominici. Quid verò in aliis ordinibus statuendum sit, corpus conventus religiosus dicatur filius, & utrum affiliatio transferri possit ad aliud Monasterium. De triplici forma professionis, & de diversitate affiliationum. Dos religiosæ, soluto matrimonio spirituali, penes quem remanere debeat. De alimentis religiosæ translata præstandis. De forma executionis translationis quæ fit vigore Bullarum Apostolicarum: utrum in ea requiratur nova professio, & utrum delegatus executor Bullarum possit subdelegare.

SUMMARIUM.

- 1 In ordine sancti Dominici bona professi remanent in primo Monasterio, non obstante translatione.
- 2 In eodem ordine alimenta debentur translata ad aliam domum regularem.
- 3 Non fit translatio bonorum in ordine sancti Dominici ad aliud conventum, nisi interveniente autoritate Generalis, & consensu Monasterij, seu conventus interesse habentis.
- 4 Triplex est vivendi religionem modus. Primus in genere, per quem bona non applicantur certo Monasterio. Secundus in specie, quando quis affiliatur certo ordini. Tertius in individuo, quando affiliatio fit respectu certi conventus particularis tantum. Et quis sit effectus hujus triplicis voti.
- 5 Quando tractatur de renunciatione, illa habet debet à conventu, respectu cujus facta est affiliatio.
- 6 Translatio ad tempus non transfert bona, sed illa remanent semper in primo conventu.
- 7 Per professionem dos religiosæ acquiritur irrregulariter Monasterio, in quo fit professio.
- 8 Quoad dotem magna est differentia inter matrimonium carnale, & spirituale.
- 9 Monasterium contra recipiens monialem translationem, debet illius dotem consequi, ex Sacrosanctam, debet illius dotem consequi, ex Sacrosanctam, debet illius dotem consequi, ex Sacrosanctam.
- 10 Proprietas dotis non potest esse penes religiosam, cum ipsa sit bonorum incapax.
- 11 Dotem cum monialis persona transferri non potest.